Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1933
Quelle:
Copyright:

432. Constabilit tempus istud objectio *Paulo* inter alias facta: noluisse ipsum pro defuncta *Anna Ferdinandi* conjuge sacra persolvere, quae sub initium anni memorati excesserat. Exilio tandem multatum hominem idem *Autor* tradit. *foll.* 156.

VII. *Friderici Nauseæ Blancicampiani Doctoris &c. ad serenis. et inuictiss. Cæsarem Ferdinandum, De præcipuis quibusdam Clericorum et Laicorum abusibus pro reformanda Ecclesia tollendis. Elenchus.* Praemittit Autor breve Argumentum, in ipsoque *Elenchi* ingressu et reformationis Ecclesiae necessitatem urget, et impositam sibi a Rege, cui a sacris concionibus, consiliisque esset, abusuum notandorum provinciam declarat. Stabilita mox triplici hac veritate: *Infinitos esse in Ecclesia abusus. Abusus cepisse originem a Sacerdotibus. Primum debere reformari Sacerdotes*, Abusuum Catalogum a summis Pontificibus sumto initio per omnes utriusque Reip. gradus texit, ut nec moderationem desideres, nec improbes libertatem, videasque multa suasisse *Nauseam* ante duo secula, quae nostro demum aevo persuasa sunt. Id quod et liquidius fit in altera *Elenchi* Parte, quae inscribitur: *Methodus tollendorum, vel moderandorum saltem abusuum.* Elaboratum hoc Opusculum a *Nausea*, patria lingua *Grau* dicto, antequam *Job. Fabro* in Episcopatu *Vienn.* 1541. succederet, Titulus declarat; posterius vero esse anno 1538. inde conficitur, quod in eo citet *Responsa* sua *ad Germanicae nationis gravamina*, quae anno praedicto *Coloniae* f. lucem viderunt. *Catalogo Opp.* suorum, qui habetur ad calcem *Epistolarum* ad ipsum datarum *Basil.* 1550. f. illud non inseruit, quod, ut putem, typis nunquam destinatum fuerit. *foll.* 41.

VIII. Refutatio errorum *Jacobi Andreae* dicti *Schmidelini* Praedicatoris tunc *Göppingani* in Catechismo et aliis Scriptis ab eo editis germanice per A. V. S. 1562. Titulus: *Warnunge für den schedlichen vnnd verderblichenn Irthumbenn welche D. Jacob Schmidlin Prediger zu Göppingen vnnder dem Euangelischenn schein, Inn seinem Catechismo vnnd andern schrifften der hailigen schrifft vnnd dem glauben zuwider Inns Christenthumb eingefuerht* &c. Initium Praefat. *Doctor Jacob Schmidlin hatt Im 1561 Iar sein Catechismum zu Tubingenn lassen truckhenn, wie er solchen Im 60ten Iar zu Lauingen gepredigt* &c. A. V. S. e schola *Zwingliana* autor est, contra *sophisticam*, ut ait, *Transubstantiationem* perinde ac contra *Impanationem*, *Companationem* et *Subpanationem* armatus. *foll.* 39.

CCCCXCVI.

Codex chartaceus lat. germ. 805
Sec. XVI. Folior. 77. 8. rudi manu perscriptus Titulum praefert: *Paræneſis F. Johannis Er-*